DE
Q. HORATIO FLACCO,
HOMINE AC POETA,
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ET

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

PRIDIE KALENDAS JUNIAS, HORA LOCOQUE SOLITO,

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

ALBERTUS T. LYSANDER, PH. M.

PARS TERTIA.

RESPONDENTIS MUNERE FUNGETUR

ERICUS ISAACUS TRÄGÅRDH,

SCANUS.

LONDINII GOTHORUM,

TYPIS BERLINGIANIS,

MDCCCXLVIII.

§. XXII.

De carmine XX libri II.

Horatii interpretandi specimen.

Γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρα ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολυ λεγομένων. Μέρη δὲ αὐτῆς εἰσὶν ἕξ· πρῶτον ἀνάγνωσις ἐντριβης κατα προσῳδίαν. Δεύτερον ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνυπαρχοντας ποιητικοὺς τρόπους. Τρίτον γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις. Τέταρτον ἐτυμολογίας εὕρεσις. Πέμπτον ἀναλογίας ἐκλογισμός. Ἕκτον κρίσις ποιημάτων· ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τέχνῃ.

Dionysius Thracius.

Priusquam ad interpretationem aggredior, textum a me recognitum probatumque describam.

Libri II Carmen XX.

Non usitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates: neque in terris morabor
Longius; invidiaque major

Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.

Jam jam residunt cruribus asperae
Pelles, et album mutor in alitem
Superna; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.

Jam Daedaleo notior Icaro
Visam gementis littora Bospori,
Syrtesque Gaetulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.

Me Colchus, et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus, et ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

Absint inani funere naeniae,
Luctusque turpes, et querimoniae:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Commentarius.

Conscribendus mihi esset liber singularis, si in animo esset omnia proferre, quae alia aliter enarratores editoresque hoc de carmine sint opinati. *Duentzerus* alique id admirati sunt, quod alii gravissime vituperaverunt. Deest omnino illud castigatum et venustum, quo Nostrum agnoscere solemus. In stropha praesertim tertia critici recentiores quaedam putide dicta sive quendam *παρένθυρσον* sibi visi sunt deprehendisse. Scriptor denique nescio quis anno MDCCCXL in *Annalibus Halensibus*, qui tum maxime florebant, omnium immitissimum tulit judicium. Statuit enim, nihil hujus generis, quod insulsius ineptiusque esset, ex tota antiquitate ad nos pervenisse ([43]). Quatuor vero versus, quibus stropha tertia continetur, *Peerlkampius* Horatio indignos judicavit.

Quae cum ita sint, hoc opusculum Horatii defendere malui, quam laudare ea carmina, quae laudari soleant. Cujus generis sunt *Integer vitae, O fons Bandusiae,* et alia his simillima.

Uniuscujusque verbi significationem explicare non opus erit, cum bene omnino enarratores superiores hoc negotio functi sint. Acquiescam igitur in nonnullis interpretandis, dum lectionis varietatem, orationem Latinam, totius carminis sententiam ac rationem conabor examinare atque enucleare.

In vers. 1—4.

nec tenui] Ita non minus quam *non tenui* libri veteres habent. Hanc lectionem aequalitas quaedam carminis postulare videtur. Ut enim stropha secunda habet: "*Non* ego pauperum . . . *non* ego, quem vocas . . . obibo, *nec* Stygia cohibebor unda;" ita in prima non nisi post duo *non* unum *nec* videtur esse legendum, ut haec stropharum convenientia exsistat: *Non* usitata, *non* tenui ferar penna . . . *neque* in terris morabor. Crebram vero constructionis ejusdem repetitionem poetae Romani effugere studebant.

biformis] nihil aliud sibi vult quam is, qui duas habet formas ([44]); unam plerumque hominis propriam, alteram ex ceterarum animantium genere aliquam. Hoc vero loco

---

([43]) **"Das Abgeschmackteste, was die ganze alte Poesie aufzuweisen hat." Vid. Die Horazische Lyrik und die poetische Kritik.**

([44]) **Graece: *δίμορφος*. Suethice: dubbelgestaltad.**

accipiendum est de eo, qui et hominis et cygni figuram prae se ferat. Nusquam hoc verbum, ut nonnulli putarunt, a veteribus transfertur. Vid. *Taciti* Annal. xii, 64. ubi *biformes hominum partus* commemorantur. Hac sola propriaque significatione utuntur vocabula *Panes biformes* apud *Columellam* (De re rust. x, 427), et apud *Virgilium:*

—— Mixtumque genus *prolesque biformis*
Minotaurus. —— (Aeneid. vi, 25—26.)

Ut apud hunc cogitandum est de forma duplici hominis et tauri, ita apud Nostrum agitur de forma humana cum cygnea confusa ([45]). Manifesta sane et clara significatio! At jam inde a Scholiastis simplex illud verbum interpretes mirum iu modum trsnstulerunt. Quo facto totum carmen est perturbatum. Lambinus ad modum Scholiastarum explicavit *biformis:* vates lyricus et satiricus. Qua explicatione ei tamen non accidit, ut ad rectam satiricam lyrici hujus carminis interpretationem perveniret. Orellius negat formas commixtas esse. Ineptissime, ut solet, Monichius ("Horazische Tableaux und Skizzen" in Annal. philol. Jahnii, 1841.) accepit *biformis* de natura quadam duplici hominis et poetae. Operae pretium est propria Monichii verba transscribere. Biformis, inquit, bezeichnet den Moment, wo beide Naturen in die Eine sich verschmelzend noch in ihrem Fürsichsein erscheinen. Dum tales proferuntur halllucinationes, actum est de saniore interpretatione.

neque in terris morabor Longius] Exquisitius pro: *non diutius vivam.* Cfr. Carm. ii, 3, 23. et *Ambrosii* T. ii. p. 1123 (ed. Bened.): Quid diutius in hac vita degere juvat atque in terris morari? — *Morari* pro *vivere* esse usitatum pluribus exemplis demonstravit Peerlkampius. Sic Orpheus Ovidianus ad inferos:

Omnia debemur vobis; paullumque morati,
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Metam. x, 32—33.

Unde etiam scelestus Neronis jocus de morte Claudii: *mŏrari* eum inter homines desiisse. — Ceterum versus illi Horatiani revocant nobis memoriam Catonis Majoris, his verbis de morte disputantis: Commorandi natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. (Cicero de Senect. c. 23. p. 84.) — Plerique Codd. habent *terra.* Cum autem hoc loco *terrae* et *urbes* sint compositae, lectio vulgata est praeferenda.

([45]) Recte ad hunc locum *Dacerius*: Biformis=Homme et oiseau=d'homme metamorphosé en cigne. *Les autres explications sont ridicules.*

In vers. 5—8.

quem vocas, Dilecte Maecenas] Incredibile memoratu est, quantopere pauca haec verba a natione interpretum peturbata sint atque vexata. Nonnulli Codd. MSS. post *dilecte* interpungunt. Unus habet *dilectum.* Quam ob rem inde ab *Ascensio* scholiasta interpretes (Dan. Heinsius, Dacerius alique) legerunt: *quem vocas dilecte, Maecenas!* i. e. *quem tu, Maecenas, vocas: dilecte!* (vel: *dilectum*). Cui interpretandi rationi auctor inventus est Ovidius in Amoribus (i, 7, 19):

Quis mihi non demens, quis non mihi barbare dixit?

et in Metamorphosibus (viii, 233):

Icare dicebat ——————

Quin etiam ad probationem hujus rei non dubitaverunt advocare Servatorem nostrum, in Evangelio (*Lucae* vi, 46) ita interrogantem: *Tί με καλεῖτε κύριε;* Hanc explicationem probaverant Vanderburgius, Jahnius, Braunhardus, Steinerus, Gernhardus. Placuit etiam Adlerbethio nostro et Colletio, Professori Parisiensi, qui nuperrime Horatium Gallice est interpretatus ([46]). Tota autem ista perturbatio, qua versus contra metri rationem distrahuntur et duo vocandi casus dissoni conjunguntur, levi opera potest removeri, et quidem remota est ab Orellio, Dillenburgero, Duentzero. Verba enim *dilecte* et *Maecenas* hoc loco tam apte conjunguntur, quam *Candide Maecenas* in Epod. 14, 5.

Majoribus autem difficultatibus verba *quem vocas* sunt impedita. Conjecturis operosis res non explicata est, sed magis etiam implicata. Bentlejus conjecit: *quem vocant.* Jeverus emendare conatus est: *Sanguen parentum nobile quem vocas.* Bothius legit: *quem vetas* (scil. *obire*). Alii tentarunt: *quem notant, quem foves* pluraque eodem pertinentia. Alii autem, a corrigendo manus abstinentes, in interpretatione vulgatae lectionis acquierunt. Quorum, ut alios taceam, Dillenburgèrus verba *quem vocas* intelligenda esse credidit: quem invitas ad te; Orellius: quem petis; Ianus Dousa: quem familiariter esum vocare consuevisti; Duentzerus: cui animos probando addis; Dominicus: quem lugens vocas. Peerlkampius demum has ad voces attulit explicationem longe portentosissimam. *Vocare* hoc loco nihil aliud sibi velle quam *ad mortem vocare.* Qua quidem ductus vocandi significatione, quae etiam ab aliis scriptoribus usitata sit ([47]), Peerlkampius to-

---

([46]) **Vid. Oeuvres d'Horace. Trad. nouvelle par Ferd. Collet. Paris, 1845. pag. 79.**

([47]) **Exempla collegit Peerlkampius:** *Vigilii* **Aeneid. iv, 460—461.** *Senecae* **Phoeniss. 39—40.**

tius carminis rationem, immo omnem Horatii vitam in suam sententiam flectit et detorquet. Suspicor, inquit, Horatium scripsisse hoc carmen omnium ultimum, paullo ante mortem. Eam mortem sibi ipse conscivit ([48]), fortasse veneno, qui Maecenati jam mortuo superesse nollet nec posset . . . . Credibile est Horatium paucos dies, qui inter mortem Maecenatis et suum intercesserint, in tanto tamque muto dolore transegisse, ut eum dolorem ne in carmine quidem de obitu amici exprimere potuerit. Tandem, consilii certus, ingenti animo hoc composuit, composito venenum hausit, clam omnibus, ut in intimo dolore, et ne precibus suorum ad vitam revocaretur. Venenum primo lente, mox celerius vim ostendit, Horatius nihil mandare potuit, nisi haereditatem Augusto, et sepulturam juxta tumulum Maecenatis ([49]). Ad hanc rationem omnia in toto carmine aptissime explicari possunt. — Atqui non video, quo modo ad istam rationem explicari possit stropha tertia, quam eandem Peerlkampius non explicavit, sed expunxit. Neque voci morientis facile accommodatur totum in hoc carmine genus dicendi, quod et ridicule turgescit et salibus facetiisque efflorescit ac redundat. Nisi forte, quod cygnus ibi commemoratur, quis putat hoc carmen esse morientis: nimirum cygni, sicut fertur, cum cantu moriuntur. Contra ea Ianus Dousa, Turnebus et Torrentius sunt opinati Horatium obiisse ante Maecenatem. Qua in re testem Maecenatem ipsum citant. Exstat enim hoc Maecenatis epigramma ([50]):

Livii Hist. x, 28. Cfr. *Ovidii* Heroid. viii, 101—103. *Virgilii* Aeneid. x, 471—472. *Silii Italici* Pun. xvi, 699.

([48]) Peerlkampio exemplum prodidit *Dacerius,* qui ad finem animadversionum in vitam Horatii Suetonianam haec annotavit: "Il est donc constant qu'il ne survécut pas longstems à son ami, et cela marque mieux que tout ce qu'il auroit pu faire la tendresse qu'il avoit pour lui. *Sans doute il accomplit alors ce qu'il avoit promis quelques années auparavant,* lorsqu'il écrivit à Mécénas attaqué d'une maladie très dangereuse, qui lui faisoit souhaiter la mort:

Ah! te meae si etc. (Carm. ii, 17, 5—12.)

Si Horace avoit tiré son horoscope, il n'avoit pas mal jugé de la conformité de son astre avec celui de Mécénas; *mais sans doute il connoissoit moins la force de son étoile, que celle de son amitié. Et il est aisé d'être bon Prophete, quand on ne prédit que des choses qu'il dépend de soi d'accomplir.*" Vid. Oeuvres d'Horace avec des Remarques par M:r Dacier. Hambourg, 1733. T. i. pag. cxxxix. Neque aliter *Peerlkampius* atque *Estraeus* Carmini ii, 17. tribuerunt vim maximam ad Carm. ii, 20. explicandam. De illo vero carmine (ii, 17) *Frandsenius,* v. cl.: Ob man den Freund hier strenge beim Wort nehmen dürfe? — Er wäre vielleicht nicht stärker gewesen, als der Apostel Petrus, wenn sich eine Gelegenheit dargeboten hätte." — Vid. C. Cilnius Maecenas. Eine hist. Untersuchung. Altona, 1843.

([49]) Peerlkampium, praeceptorem suum, quodam modo sequutus est *Estraeus* (l. l. pag. 404.) Suspicatus enim est Horatium, mortem suam prospicientem cupientemque, hoc carmen scripsisse.

([50]) Corruptum hoc poema *Salmasius* et *Otto* egregie emendaverunt.

Lugent, o mea vita, te smaragdus,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nuper candida margarita quaero,
Nec, quos Thynica lima perpolivit,
Anellos nec Iaspios lapillos.

(*Isidori* Origg. xix, 32, 6.)

Has vanas omnium interpretum de uno loco contentiones cum videam, facile adducor, ut Peerlkampio assentiar. Hic enim, rebus Horatianis diffisus, alicubi sic scripsit: Si Horatius tam obscure et negligenter scripsit, ut centeni homines eruditi sententiam carminis et singulorum versuum probabiliter explicare non potuerint, legi non dignus est. Optimum enim quemque poetarum Romanorum vitio obscuritatis minime laborare. — Itaque quicquid loquitur poeta *unum* habet sensum. Quid est igitur, cur interpretatio, cum simplex esse deberet, tam vaga sit et fluctuans, ut novi semper interpretes novam verbis subjiciant vim? Emergendum ex hac interpretandi perturbatione ita est, ut, singulis vocabulis dicendique formulis spectatis, ea sententia teneatur, quae a scriptore statim ad legentem transeat. A simplici igitur explicandi ratione proficiscitur haec vera sententia: Non ego, ut homo vulgaris, qualem tu me vocare soles, dilecte Maecenas, morti ero obnoxius. Quae interpretatio, quamvis Orellio videatur tali amicorum pari indigna, necesse est probetur ab unoquoque lectore, quem jocosa totius carminis sublimitas non effugerit. In stropha prima jocus omnino latitat; sed si requiri jusseris, invenies eum verbo *biformis* se occultantem.

Animi tantum causa notandum est, Adlerbethium, intelligentia omnino non ornatum, hos versus, ut potuit, pessime interpretatum esse. Scripsit enim:

———————— Nej, Mecenas, mig
Du nämnde Vän; och *säker blef jag,*
Att mig ej Akeron skulle fängsla.

In vers. 9—12.

Venio nunc ad carminis partem longe difficillimam eamque explicationibus maxime tentatam, quae, cum omnes aeque cruciaverit interpretes, hic paullo fusius est tractanda. Mutationem igitur suam in alitem poeta per res minutissimas describit. Imaginem nimis corpoream esse cernimus: in genus dicendi targescens jam supra animadvertimus. Recte Peerlkampius notavit, poetarum Graecorum neminem tam inepta metamorphosi usum esse. Horatii tamen carmen, nisi in minuta commutationis

descriptione, non procul abhorrere videtur sive a fabulis Ovidianis sive a fragmento Euripedeo, quod Clemems Alexandrinus servavit. Hoc autem, quo res manifestior sit, et Graece describam et Latine reddam:

Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ
Καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα
Ἁρμόζεται
Βάσομαι δ' ἐς αἰθέρα πολὺν
Ἀέρθεὶς, Ζηνὶ προσμίξων.

(Stromat. iv. 26. §. 176.)

i. e.

Aureae mihi pennae in tergo
Et Sirenum venusta talaria
Aptantur;
Abibo vero in aethera magnum
Sublimis, cum Jove conventurus.

Hujusmodi igitur fabulas Noster aut serio imitatus est, aut nimia imitatione derisit. Hoc ut credam animus inclinat.

Illis vero temporibus laudes deorum et formarum mutatarum, maxima olim poesis lumina, jam pridem celebrari desierant et nisi a levissimo quoque plebejorum diligi. Nulla plane res hominibus illius saeculi videbatur consiliis numinibusque deorum regi ([51]). Quam ob rem Noster, quo nemo verius imaginem suae aetatis refert, nonnumquam, deridendi causa, aliquid de cultu deorum ac religione populari degustat. Huc pertinet tota satira VIII libri I, cujus tres versus primi sententiam meam satis comprobant:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego ————

Sed saepius hac in re Noster versatur. In Carm. ii, 7, Mercurium deum, tamquam machinam, adhibet ad se ex pugna eripiendum:

Sed ne per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aere.

(vers. 13—14.)

Irrisorem poetarum epicorum, heroas a diis servatos commemorantium, manifesto deprehendere potes. Isti vero deorum auxilio jam antea Vectius Messius illuserat. Volscos enim quondam a Romanis circumventos his verbis increpuit: An

([51]) **Praeclare hanc cogitandi rationem paucis adumbravit *Hegelius* (Aesthet. ii, 115): Die Wirklichkeit erscheint als eine *götterlose* Wirklichkeit.**

Deum aliquem profecturum, vos rapturumque hinc putatis? (Livii Hist. iv, 28). Sed redeamus ad Horatium.

In Carm. i, 28. somniis delirantium philosophorum sententiaeque populari illudit, animam ex uno corpore in aliud migrare. Mentionem enim facit Pythagorae, qui affirmabat se Trojani belli temporibus fuisse Euphorbum. Hoc tandem carmine, quod tractamus, derisit insulsas istas transformationes, quibus plebecula fidem tribuebat. Sperabat certe Noster se fore immortalem. Sed immortalitatem suam credidit in monumentis ingenii, non, ut vulgi ferebat opinio, in quadam *μετεμψυχώσει* vel *μεταμορφώσει* esse positam. In ultimo libri III carmine de propria immortalitate serio vaticinatus est. Ultimo autem libri II carmine falsam immortalitatis opinionem imminuit.

Aliam prorsus viam ingressi, Virgilius et Ovidius carminibus suis historiam fabularem inserebant. Illis quidem operae videbatur poesin ad sensum popularem accommodare atque in operosis metamorphosibus haerere. Quod vero lyrico minime convenit poetae, nisi joco interdum loquitur aliquanto grandius. — Opinatur ad hoc carmen Schneidevinus, Horatium Alcmanem jocantem esse imitatum. Suspicor vero Horatium carmen quoddam serium de formis mutatis imitando derisisse. Quod si fides Hartungo, V. Cl., habenda est, illud Euripidis fragmentum, quod supra attulimus, ad Icarum spectat ([52]). Quam ob rem conjicio Horatium, qui Icari mentionem etiam fecit, poema Euripidis ante oculos habuisse. Et vero Horatii post tempora Lucianus (De Saltatione, 49) jocose commemorat Icarum et Daedalum et Ariadnen et Labyrinthum ([53]). Qui idem *περὶ μεταμορφώσεως* festivissime disputavit in libro, qui inscribitur *Ἀλκυών* ([54]). Metamorphoseon vero irrisoribus etiam est accensendus Appulejus, cujus de *asino* fabula notissima est.

Totius carminis ratione expedita, voces singulas inspiciamus. — Verbum igitur *pelles]* numero plurali utitur; neque vero quod pellis in dextro et sinistro crure intelligitur, nec quod metro coactus poeta ita scripsit. Utramque rem suspicatus est Peerlkampius. Sed dum cutis ossibus propius admovetur et rugosa fit, plures in

---

([52]) Vid. J. A. Hartungi librum, qui inscribitur *Euripides restitutus.* Hamburgi, 1843. Tom. i. pag. 111.

([53]) Cfr. De astrologia, 15.

([54]) Cfr. ejusdem *Λούκιος ἢ Ὄνος.*

crure utroque pelles pro una evadere videntur. — Quis autem dubitare potest, quin Horatius his inflatis versibus irrideat minutas metamorphoseon descriptiones, quae poetarum popularium atque mythicorum essent propria? Itaque, tamquam spectator aliquis, suam ipse mutationem discribit, ab infernis corporis partibus ad superna usque progrediens, a cruribus ad digitos et humeros. Peerlkampius igitur non est audiendus, reprehendens quandam carminis inaequalitatem.

superna] Graece: τὰ ἄνω. Egregia Mureti pro *superne* emendatio. Licet in plurimis optimisque Codd. MSS. sit *superne,* hac tamen lectione metrum violatur. Praeter ea legitur *superna* in libris aliquot, quibus favent alii, ubi habetur *supernae.* Firmatur denique nostra lectio gravissima auctoritate ac defensione Bentleji, qui ad hunc locum scripsit: Elegans constructio est, a Graecis hausta, *mutor superna* in alitem, ut Ovidius:

Sic quoque devicto restabat tertia tauri
Forma trucis: tauro *mutatus membra* rebello.

(Metam. ix, 80—81.)

Neque vero formides syllabarum earundem concursum: super*na na*scuntur. Sic enim Virgilius: Achai*ca ca*stra, Dori*ca ca*stra; et plura similia. — Id autem comprobare non possum, quod ad sententiam suam tuendam Bentlejus ulterius addidit. *Superna,* inquit, nihil aliud notat quam supernas corporis partes, at *superne* magis quae supra corpus et caput sunt, quam superiora corporis. — Quid enim sibi vult, si ista probabuntur, notissimus versus Horatianus? Hunc dico:

Desinat in piscem mulier formosa *superne.*

(Epist. ad Pison. 4.)

Remotis igitur omnibus, quae ansas ad reprehendendum praebeant, nihil melius neque poeta Latino dignius hac ipsa stropha reperiemus.

In vers. 13—16.

notior] Lectio vulgata *Daedaleo ocior* hiatu durissimo laborat. Bentlejus conjecit *tutior.* Alii: *cautior, laetior, ornatior.* Peerlkampius, quo melior fieret versus, statuit Horatium ita scripsisse:

Jam Daedaleo audacior Icaro.

Quae vero conjectura non meliorem, quam lectio vulgata, commendationem a metro habet. Verum enim vero, nisi locis perpaucis, Horatius non patitur vocabula

caesura metri Alcaici dirumpi. Cujus autem generis exempla, quod recorder, solummodo haec sunt:

Mentemque lympha || tam Mareotico

(Carm. i, 37, 14.)

Spectandus in cer || tamine Martio.

(Carm. iv, 14, 17.)

Quorum alterum Peerlkampius non sine causa habuit suspectum. Libri autem, nisi vulgatam, non habent aliam lectionem quam *notior* vel *nocior*. Haec autem nihil aliud est quam corrupta illius scriptio. In codice vero optimo atque antiquissimo Bernensi legitur *notior*. Neque aliter scriptum invenies in codice, quem Bentlejus citat, Leidensi. Cui lectioni fidem affert cum liber Turicensis, ubi *nocior* habetur, tum vulgata *ocior*, omissa *n* littera. Nihil est igitur, quod auctoritatem librorum spernas, cum sensum omnino praebeant optimum. In Icaro enim Noster hoc loco neque praecipitem andacemque volatum neque casum respexit fatalem. In hoc autem carmine, ut jam vidimus, omnia *εἰρωνικῶς* accipienda sunt. Sublimi igitur fuga Icarus factus est notissimus populis, qui, eum contuentes volantem, vehementer obstupuere. Quam ob rem primum nominavit Noster Bosporum. Hic enim proximus est mari, in quod Icarus decidit. Sententia vere Horatiana videtur: Ego quidem filio Daedali notior non modo mare Aegaeum invisam, sed etiam Bosporum, Gaetulos, Hyperboreos, et quae plura sunt maris terrarumque loca ultima. — Nonne *εἰρωνείαν* habemus maxime luculentam? Istasne gentes barbaras, easdemque fabulosas, enumeraverat poeta, de fama sua serio verba facturus? Quis enim poetarum Romanorum sperabat, se apud ultimos populos fore cognitum? Quis denique nostratium sperat fore ut scripta ejus a Patagoniis legantur? Nominasset, credo, Noster potius Graeciam Asiamque minorem, nisi in hoc carmine tecte atque oblique loquutus esset. In seria autem re quantum enumeratio gentium barbararum a mente ac consilio Horatii abhorreat, maxime licet intelligi ex Carm. iii, 30. ubi nullius mentio fit terrae, nisi Italiae.

Statuit Monichius, Horatium nominibus Bospori, Gaetulorum, Hyperboreorum Gelonorumque quatuor coeli plagas, quas vocant, significare voluisse. Id quod minime intelligentiae Horatianae convenit. Passim igitur neque ordinem sequutus Horatius nationes quasque longissime remotas, ut ferebat animus, collegit ac nominavit.

In vers. 17—20.

qui dissimulat metum Marsae cohortis Dacus] *Dacerius* post *cohortis* interpungit. Putat enim verbis *qui .... cohortis* Parthos significari; quia Noster dixit (Carm. ii, 13, 18—19), *Parthum catenas Italumque robur timere. Dacerium* Sanadonus et Walckenaerius sunt sequuti. Orellius autem recte docet, hanc interpunctionem non posse placere propter incommodum ἀσύνδετον ante verbum Dacus. Marsi autem erant sociorum Romanorum fortissimi; quam ob rem Horatius bellum sociale appellavit *Marsum duellum* (Carm. iii, 14, 18), si quidem hujus carminis auctor Horatius est habendus. Enim vero hoc bello (55) Marsi, Q. Popedio duce, Romanis maximum attulerunt detrimentum; postea vero flos ac robur peditatus Romani habiti sunt. Unde proverbium illud apud Appianum (B. C. i, 46): οὔτε κατὰ Μάρσων οὔτε ἄνευ Μάρσων γενέσθαι θρίαμβον i. e. *nec de Marsis nec sine Marsis agi triumphum.* Crudelia Romanorum bella cum Dacis notissima sunt. Sic in Carm. iii, 8, *Daci Cotisonis agmen* memoratur. Tandem Dacia Hadriani virtute imperio addita est. Sed anno DCCXXIII Dacos ad bellum contra Octavianum Antonius incitaverat. Huc referas verba Horatiana: O bone, numquid de Dacis audisti? Sat. ii, 6, 51—53.

me peritus Discet Iber] Broukhusius conjecit *perustus* pro *peritus;* Burmannus: *petitus* (sc. *bello*); Peerlkampius denique: *Me peritus Discere Iber.* Cui conjecturae subjungit interpretationem: Colchi, Daci, Geloni me noscent, me Iber, peritus discere carmina poetarum. Quis autem Romanorum hoc tempore Iberes rerum peritos, litterarumque doctos serio appellavit? *Peritus* sane est quaedam πρόληψις sive, quod Grammatici vocant, epitheton ex futuro. Neque alia inest verbis sententia quam haec: Iberus, nunc quidem rudis atque incultus, me discet, eoque erit rerum peritus. — Ex quibus verbis Horatiana εἰρωνεία elucet.

De verbis *Iber, ĕris* et *Ibĕrus, i* (56) vide Servium, qui ad Virgilii Aeneid. vii, 605,

Hyrcanis ***Arabisve*** **parant** ————

haec annotavit (57): Hic dativus venit ab eo, quod est *hic Arabus;* nam ab eo, quod est *hic Arabs,* hoc Arabe, *Arabibus* facit. Sicut *Hiberus.* Unde est in Lucano ii, 54:

(55) De quo vid. *Flori* Rer. Rom. iii, 18.

(56) Cum aspiratione etiam scribuntur: *Hiber* et *Hiberus.*

(57) *Servium* h. l. a mendis librariorum *Peerlkampius* liberavit.

———— **Occurrat Hiberis**
Alter. ————

Et *Hiber.* Nam Horatius dixit ii, 20:

Discet Hiber Rhodanique potor.

In vers. 20—24.

inani funere] Non est, quod cum Peerlkampio corrigamus:

Absint inanes funere neniae.

Neque certum est Scholiastas ita legisse. Qua in re commentatorem, quem vocant Cruquianum, Peerlkampius testem citavit. Habet vero ille: Inanis enim luctus fit de mortuis. Id quod nihil aliud sibi vult quam insulsa interpretis observatio, ex ipso *inani funere* petita. Interpretes enim veteres, si quid sibi ex verbis auctoris ratiocinandum videretur, in commentario annotare solebant. Ex *inani* igitur *funere* commentator ille collegit, quemadmodum funus, ita nenias a poetis dici inanes. Nihil autem ad explicationem ipsius loci attulit. — Quam ob rem cum Dacèrio, Orellio aliisque interpretamur *inane funus* esse *κενοτάφιον,* ut in Virgilio (Aenid. iii, 304) *inanem tumulum* eodem prorsus sensu accipimus.

supervacuos] Hac forma, quae duobus tantum locis, iisdemque suspectis ([58]), apud *Ciceronem* (De nat. Deor. i, 33. Epist. ad Fam. iii, 5) occurrit, Horatius Romanorum scriptorum primus usus est. Postea vero usu frequentior facta, apud *Ovidium, Quintilianum, Plinium* majorem, *Senecam* philosophum, *Justinum, Columellam* est obvia. Sed apud veteres auctores, et quidem *Ciceronem* forma *supervacaneus* semper obtinet. Accedit, quod *Varro,* si loco suspecto *Nonii Marcelli* ([59]) fides habenda sit, putabat dici non oportere *supervacuum,* sed *supervacaneum.* Ceterum recte docet Doederleinius, *supervacaneus* et *supervacuus* non nisi forma differre, sicut *siccus* et *siccaneus, mediterreus* et *mediterraneus.*

Hac denique stropha Horatius in versum Maecenatis jocatus est, quem *Seneca* in epistola XCII collaudat. Nam *Ennium* imitans Maecenas sic scripsit:

Nec tumulum curo: sepelit Natura relictos.

Ennianum vero epigramma, a Cicerone duobus locis (Tusc. Disp. i, 15, 34. De Senect. 20, 73.) allatum, hoc disticho continetur:

([58]) **Plerique enim hic quoque legunt *supervacaneus.***

([59]) **De proprietate sermonis Latini. xii, 28.**

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virum.

Jocosum igitur, ut supra innuimus, totum carmen habendum est. Id quod Eichstadius primus docuit in Paradoxis Horatianis. Sequuti sunt Gernhardus (De compositione carm. Horatii explananda) et Schneidevinus (in Conjecturis criticis). Nunc autem spero et hercule! confido fore ut haec explanandi ratio non παράδοξον quoddam vel conjectura existimetur, sed omnes in se habere numeros veritatis videatur. Aliquid tamen iis respondendum est, qui, quamvis refutati videantur, *chorda semper oberrent eadem* (Ep. ad Pison. 356).

In animum igitur homines inducunt, Horatium nisi in satiris non ludere. Quae quam futilis sit sententia, e Carm. ii, 7. quod supra tractavimus, satis jam licet intelligi. Quantus autem in toto Horatio lepos quantaeque facetiae vigeant, maximum documentum est illud Horatii *παρακλαυσίθυρον.* Canit hocce carmen (iii, 10.) Horatius ante januam amicae saevissimae. Querentibus autem voculis tandem adjungit minos jocosos:

Non hoc semper erit liminis aut aquae
Coelestis patiens latus.

(vers. 19—20.)

De ultimo vero carmine libri II sine ulla dubitatione sic statuo et judico, nullum poema Horatianum tot tantaque, quae riderent, amicis poetae praebuisse. Praeclare Eichstadius: Num imago prodigiosa (quam ad hoc carmen adhibuit Noster) differt ab illa, quam Horatius in Arte risui amicorum exposuit? — Nam de imagine, *undique collatis membris* induta, haec habet epistola ad Pisones:

Spectatum admissi risum teneatis amici?

(vers. 5.)

Quod autem Orellius, V. Cl., contendit, Horatium carmine jocoso librum secundum non posse concludere, id non sine causa factum esse credo, quod poeta librum secundum jocoso, tertium serio carmine conclusit. Idem Orellius, parum sibi constans, negat metrum Alcaicum joco convenire. At vero in Carm. ii, 7, quod eodem utitur metro, jocum quidem festivissimum agnovit. Plus denique, quam satis est, verbis *invidia major* tribuentes, omnes fere interpretes crediderunt, id Horatio fuisse propositum, ut, multos cum haberet obtrectatores, ultra invidiam omnem elatus hoc

demum carmine videretur. Istis vero verbis, obiter dictis, totius ratio carminis contineri non potest.

Remotis igitur omnibus, quae sanae interpretationi officiant, hanc tandem, ut intimum Horatii artificium cognosceretur, ausi sumus aggredi

Paraphrasin Carm. XX Libri II.

> **Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari; tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam, et exornare, salvo modo poetae sensu, permittitur.**
>
> *Quintilianus.*

Jam pridem terrestribus defessus negotiis, in coelum migrare atque aerem navigare in animo est. Quod autem proprium est poetae (quem Plato *χρῆμα κοῦφον καὶ πτηνόν* appellat), sublimem abire atque libere volitare, si id mihi assumo, videor id meo jure vindicare. Membris igitur prodigialiter immutatis, remigio alarum evolabo e conspectu hominum, qui tanti me non aestimant, quanti sum aestimandus.

Neque tu, dilecte Maecenas, qui sim, satis nosti. Credis utique me esse pauperum parentum sanguinem. At immortalis incedo poeta. Mox vero, si poetis fides habenda est, in cygnum mutabor canorum.

Jam incipit corporis mei in cygnum mutatio. Pellis fit aspera et residit cruribus; levibusque per digitos humerosque plumis natis, perfecti alitis prae me fero imaginem.

Si vero Icarus aliquem honoris gradum assequutum se putat, qui mare quidem Aegaeum vidit; quam tandem famam gloriamque fore putatis, cum mihi licebit per populos barbaros, eosdemque remotissimos, volitare ac vagari latissime?

Me quidem Colchus et ultimi Geloni et, Romano longe infestissimus nomini, Dacus contuebuntur atque admirabuntur. Immo vero Galli Hispanique me discendo erunt litterarum docti.

De pompa autem exsequiarum, Maecenas, non aliter quam tu sentio. Absint igitur funere querimoniae, neniae et, qui faciem deformant, luctus. Compesce clamorem et missos fac honores, cum ipsum desit cadaver; id quod sepulturae caput equidem dico.

Vides Horatium, sibi semper constantem, in toto carmine jocosis seria ita remiscere,

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

(Epist. ad Pison. 152.)

Quae autem jocose vaticinatus est Noster, mirum, quantum eventu probata sint. Nam non modo Roma imperium tenente (60), sicut ipse serio est suspicatus, gloria illius nominis vigebat; sed etiam, urbe aeterna devicta, *recens crevit laude postera* (Carm. iii, 30, 7—8), et a remotissimo quoque populo honores est adeptus. Quin etiam ad ultimam usque Thulen, quam ne nominavit quidem poeta, carmina illa penetraverunt, ibique ad animos humanitate excolendos mirifice valuerunt.

---

(60) ——————— dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.

(Carm. iii, 30, 8—9.)